



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Depositio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

prævia est apostasia à fide. *ibid. numer. 10. & 11.*

21. Qui intra duodecim dies à sacra Congregatione præscriptos non denuntiavit hæreticos, vel suspectos de hæresi, tenetur adhuc illos denuntiare: nam terminus duodecim dierum non apponitur ad finiendam; sed ad sollicitandam obligationem denuntiandi. *ibid. n. 13.*

22. Extat obligatio sub mortali denuntiandi Confessarium ad inhonestos actus pœnitentem in confessione sollicitantem; id est, allicientem, seu precibus rogantem, seu alia ratione invitantem ad turpia & inhonesta. Urgetque obligatio denuntiandi, etiamsi Confessarius tacitis verbis sollicitet, ut laudando à pulchritudine, venustate, &c. vel etiamsi alliciat pœnitentem ad peccandum cum tertia persona; vel etiamsi sollicitaverit ad venerea, antequam istæ bullæ promulgarentur. Imò probabile est, contra nonnullos, urgere adhuc præceptum denuntiandi, etiamsi Sacerdos sit emendatus, & pœniteat eum sollicitationis; secus dicendum de Confessario sollicitante ad alia peccata non venerea. *ibid. punct. 3. num. 3. & seq.*

23. Omnes ergo tam mares quàm feminæ tenentur denuntiare Confessarium, qui eos ad turpia sollicitare, vel provocare tentavit, occasione vel prætextu confessionis; secus dicendum si pœnitens ipse Confessarium sollicitarit, & ad venerea induxerit; consequenter Confessarius non tenetur deferre feminam se sollicitantem in confessione, sicut neque filia spiritualis patrem spiritualem, à quo sollicitata fuerit ad venerea extra sacramentum pœnitentiæ. *ibid. n. 16. & seq.*

24. Quæres, ad quem pertineat inquirere, cognoscere, & pœnam imponere ob crimen sollicitationis? Respondeo pertinere ad Inquisitores, Episcopos, ac ordinarios locorum, sed non possunt hoc delictum punire, nisi plenè probetur; quod fieri potest per testes singulares, ut per plures feminas, quæ singulæ seorsim affirmant se à Confessario in confessione sollicitatas fuisse; quia hoc crimen aliter probari non potest; debent tamen esse plures, quàm duæ feminæ; quia cum feminæ leves sint, & mutabiles, etiam ipsarum testimonium debile censetur & infirmum. *ibid. num. 23. & seq.*

Depositio.

Depositus retinet privilegium fori, & canonis, vide v.

M

68=

excommunicatio. Vid. etiam Tolet, *l. 1. c. 17. numer. 6.*

Depositiō verbis, degradatiō actu fit: privat depositi honore & dignitate, Maiol, *l. 3. de irreg. c. 12*

Depositione digna sunt stuprum, incestus, adulterium, & omnia adulterio majora, (quia etiam *c. pervenit. d. 59.* indicat sufficere fornicationem,) item furtum, perjurium, homicidium, etiam solo consilio, vel scortatione factum, & omne crimen inducens irregularitatem; denique enorme iudicis arbitrio.

Quando infligatur depositio, docet *gl. 15. q. 8. in summa*

Depositus sine degradatione per Episcopum, ab eodem potest restitui. Quidam tamen addunt, nisi ob crimen sit depositus adulterio majus.

Sed non solent depositi ad clerum restitui, ex *c. qui sententia c. pervenit d. 50. Maiol. l. c. n. 4.*

Depositum

1. Depositum est contractus, quo sola rei custodia alteri committitur; & consequenter depositarius non potest uti deposito; imo potius committet furtum si eo utatur, nisi forte credat hoc domino non displicere; aut nisi dominus concedat usum depositi expressè vel tacite, aut res sit consumptibilis, ut pecunia, & similis haberi possit tempore quo repetetur, seu tempore solutionis. Duplex est depositum: iudiciale, & privatum; quod contingit, quando res aliqua deponitur apud confidentem hominem ut custodiatur; iudiciale vero, quando debitor deponit pecuniam, quam creditor recusat acceptare; aut quando lis pender de re aliqua & interim ea deponitur apud aliquem, donec liti finis imponatur. *to 2. de Contractibus. disp. 3. q. 14. sum. 1. n. 1.*

2. Quilibet pollens usu rationis potest esse depositarius, etiam si sit pupillus, femina, clericus, aut religiosus; quamvis malè faciat suscipiendo depositum absque consensu auctoritatis. Ordinariè deponuntur tantummodò res mobiles, aut se moventes, ex gr. gemmæ, libri, animalia, pecunia, &c. quæ functionem recipiunt; horum enim custodia potest alteri committi. *ibid. punct. 2. n. 2. & 3.*

3. Ad depositum hæ requiruntur conditiones: consentus tradentis & acceptantis, ut res tradatur; ut quando depositum exigitur, restitatur eadem res (intellige tamen quando depo